

Q.K. 389, 28.

(X1883925)

II n
2208

FELICITAS
ORBIS CHRISTIANI
EX
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI
DN. JOSEPHI PRIMI,
REGIS HUNGARIÆ, ARCHI-DUCIS
AUSTRIÆ &c.
In
REGEM ROMANORUM
ELECTIONE.

SERVESTÆ,
Typis Joachimi Palmieri/Aul. Typogr. Anno M.DC.XC.



In
NUMINIS ÆTERNI
SEMPITERNAM GLORIAM
&
HONOREM PERPETUUM
SACRATISSIMARUM
CÆSAREÆ atque REGIÆ ROMANARUM
MAJESTATUM
nec non
SACRI IMPERII ROMANO-GERMANICI
Eminentissimorum, Serenissimorum, Illustrissimorum &c. &c.
ELECTORUM, PRINCIPUM, COMITUM,
aliorumque
Inclytorum
STATUUM atque ORDINUM,
Eorumque

Quibus discriminatim
Majestate, Territoriali Superioritate, Jurisdictione,
Omnes verò
Pietate, Justitiâ, Exemplo,
Optimè præfunt,
Subjectorum
Nobilium & Ignobilium
Salutem
&
Felicitem
Publicam, Omnimodam, Perpetuam,
Jubente
Humillimæ Subjectionis Obligatione,
Excitante
Pietatis ingenuâ devotione,
Dictante
Cordis Sinceritate,
Calamum ducente
Fidei Integritate,

A 2


Ser-

**Sermone Panegyrico
simplici licet
Rerum ac verborum nexu
delineata
celebrata**

**Sereniss. Princip. Anhaltin. in Curis Feudorum,
Regiminis & Consistorii Secretario**

MATTHIA KELLERO,

Cr. Halberstad: Saxone.

SERENISSIMIS
PRINCIPIBUS AC DOMINIS,
Qui aurâ jam prosperè vescuntur,
DOMINIS  PRINCIPIBUS
ANHALTINIS,

Ducibus Saxoniz, Angriz & VVestphaliz, Comitibus Asca-
nia, Servestz, & Bernburgi, nec non Jeverz
& Kniephusii,

Quorum
Incorruptæ fidei constantiâ acceptò utuntur
SACRATISSIMÆ CÆSAR. ET REG. ROMANÆ MAJE-
STATES,

Sinceritate & Consilio fruitur
SACRUM IMPERIUM,

Eorundemq;
Pietate, Sapientiâ, Justitiâ,
Consistit hætenus, rerumque declinantium restaurationem
sperat inclytus Principatus Anhaltinus.

DO

DOMINIS SUI CLEMENTISSIMIS

PRINCIPIBUS AC DOMINIS

Qui vobis jam prosperis relictis

DOMINIS & PRINCIPIBUS

ANHALTINIS

Ducibus Saxonis Archiepiscopi & VVestphaliae Comibus Als

nia, Saxe, & Brandenburg, nec non Saxon

& Knechtsteden

Quorum

Inscriptis ad hunc modum accepit unum

SACRATISSIMAE CAESARIS ET REGIS ROMANAE MAJEST

STATIS

incursum & Consilio fuerit

Devotissimi cultus causa

Exordium

hæc humillimè exhibetur

Consilio in hoc rebus delectationem colorem

si est in hoc rebus delectationem colorem

DO

ORATIO.

SERENISSIMI PRINCIPES,
DOMINI CLEMENTISSIMI.

In Scripturâ Sacrâ legimus, quod paupereu-
la vidua obulum, qui unicuique ipsi supererat,
cum alii in emulationis quasi conflictu pre-
ciosa ac speciosa dona exhiberent, obtulerit,
isq; DEO ^{καὲ διογνώσκει} supra alios gratus & ac-
ceptus fuerit, eò quod devota muliercula non ostentatio-
nis gratiâ, quam tantillum equidem per se non capiebat,
sed ex animi pietate & cordis integritate obtulisset. Si-
mili quadam spe fretus & ego, cum Magnificentia Sacri
Romano-Germanici Imperii electionem Regis Romanorum
non ita pridem, & cum eâ ingentem felicitatis spem toti
Orbi Christiano exhiberi fecisset, tot tantisq; oblatis, votis
& factis meum quasi obulum addere in animum induxi,
dum

Dum presentem de felicitate Orbis Christiani, qualem qualem licet, Oratiunculam festinantem inter alios continuos, quibus distringor, labores, simpliciq; adeo calamo conscripsi, eam quidem intentione, ut autoritate & solennitate quadam publicam illa haberetur. Cum autem tempus passionis Domini nostri Jesu Christi sacrum, silentioq; adeo festivitatum Civilium destinatum, hanc solennem publicationem primum prohibuisset, gravia post negocia publica eandem impedivisse mihi visa sunt. Et licet nihil etiam obstitisset, illud tamen ipse lubens & ingenuè addo, quod hoc, ex mea, autoris, tenuitate solennitatis aliquid haud equidem mereatur, sed majus atq; nobilius quid illam merito expectet. Interim verò nec pietas mea odium, nec devotio iridiam apud bonos merebitur. Et cum pietas subditorum, nisi opere quadantenus, sicubi fieri potest, erga Regem vel Principem suum se exserat, mortua vel planè nulla mihi semper credita sit, certaq; spes me alat, Sacratissimum Imperatorem & Potentissimum Neo-Regem Romanorum, utrumque, favente Deo, longævum fore, nec unquam, me quidem vivo, similem electionis augustum actum denuò institutum iri, hanc tenuem Orationem mea erga Sacratissimas Majestates, dilectissimamq;, variè & periculosè licet hactenus nutantem, Patriam Germaniam pietatis certum documentum etiam post mortem meam esse in votis habeo. Dum verò hoc expeto, ostentationis imputationem deprecor, quae certè procul à me, nec hoc tanti est, ut illa à bonis ex eo praesumi possit aut debeat. Alii, qui nec pietatis

tis

tis, nec honestatis debita, nec amorem, nisi suimet, norunt
vel agnoscunt, ex ambitione & cupiditatibus suis omnia
metientes, affectibus suis pro lubitu sacrificabunt, nec ta-
men meam erga Patriam pietatem livore suo imminuent,
multò minùs subsannationibus eandem extinguent. Pu-
blica itaque luci hunc sermonem committere destinavi, re-
sentà verborum, quibus initio compositus erat, integritate,
ac si publicè ita declamatum esset, cum à bonà quavis
mente id, quod auditùs sensui negatum, legendo compensari
facile queat. Dum verò, Serenissimi Principes, Domi-
ni Clementissimi, hic exiguus oblationis quasi nummulus
sub territoriali Vestro Imperio cusus est, Illustrissimorum
Vestrorum nominum inscriptione eum Casari, Regi ac Pa-
tria offerendum, & à summà Vestrà auctoritate dignita-
tem atque valorem illi exorandum esse ratus sum. Acce-
dit, quod Vestrà, Principes Optimi, erga Sacr. Casar. &
Reg. Roman: Majestates fides tanta & tam constans sit,
ut nulli secunda dici debeat, adeoq; Serenitatibus Vestris
nec meam, minimi Servuli, hanc devotionem ingratanam
fore, nedum improbatum iri humillimè confidam. Re-
stare saltem videtur, Serenissimi Principes, ut orem &
exorem Vestram gratiam, eam nempe, quæ huic securita-
tem in lucem prodeundi conciliet, & dignitatem, quæ illi
deest, addat. Agite igitur, Clementissimi Domini, accipi-
te & fovete hoc, tenue licet, ingenuæ tamen devotionis de-
bitum eadem dextrarum Vestrarum sanctitate, quæ pro
Casaris, Regis atque Imperii salute, indefessà curà ac fide
perpetuò,

B

perpetuò,

perpetuò, inq̄ fama & gloria Vestra eternitatem, strenuè concurritis. Meum quod est, ut, unà cum Illorum felicitate, Vestra quoque prosperitas perpetua ac florida sit & maneat, ex animo precor ac voveo, Vestraq̄ insimul Clementiam me meosq̄ humillimè commendo
Serenitatum Vestrarum.

Servestæ Anhaltin.
d. 13. May 1690.

Fide & Obsequio
humillimus servus

AUTOR.

Io.



O illuxit!

TITUL.

Illuxit, inquam, non ita pridem per Dei gratiam utraque ex optatissima illa dies, quarum priori Divina Providentia felicitatem Patriæ nostræ Germaniæ, at non Germaniæ modò, sed totius Imperii Romano-Germanici, nec hujus saltem, sed universi orbis Christiani, fœcundissimè concepit, posteriori verò eandem felicissimè enixa est; dum die decimo quarto mensis Januarii hujus anni Serenissimus ac Potentissimus Princeps, Rex Hungariæ & Archi-Dux Austriæ, JOSEPHUS Primus in Regem Romanorum futurumque Imperatorem Romano-Germanicum ritè ac justè electus, sextoque decimo die ejusdem mensis solenniter coronatus est, augusto certè omine in inclytâ Imperii urbe Augusta.

O quàm Providentia divina nunquã satis admiranda! Cum ante paucos annos piissimus Imperator cum Suis, ex opinione quidem Regis Christianissimi sic dicti non Christianâ, exuli similis, Imperium animam quasi brevi exhalaturum, orbisque Christianus Turcarum jugo ac tyrannorum servituti proximus esse videretur; En, post nubila Phœbus! Jam per Dei gratiam vivit feliciter Imperator LEOPOLDUS Pius, adest ac viget prosperè Neo-Rex Romanorum suavissimus JOSEPHUS Primus, floret & lætatur Patria, ingentia bona tenet Germania, meliora multa exspectat Imperium, & optima quæque sperat universus orbis Christianus; Nam JOSEPHUS Primus Rex Romanorum & futurus Imperator electus

B 1

electus

electus & coronatus est. Quid hinc bonæ spei, quid salutis, quid denique gaudii Imperio Romano - Germanico, Patriæ nostræ dilectissimæ, accreverit, quid imò felicitatis toti orbi Christiano accesserit, displosa in quam plurimis Imperiis, Regnis, Principatibus & Rebus publicis æneæ fistulæ, campanæ & tubæ sonantes, publicæ acclamationes, animata pyrio pulvere jacula, aliæque festivitates publicæ tam sacræ quàm profanæ, abundè hæctenus significarunt. Hæc omnia in gloriam æterni Numinis cum debitâ gratiarum actione pro Imperatore nostro LEOPOLDO Pio, Justo, pacifico, hæctenus conservato, & Neo-Rege Romanorum JOSEPHO optimo in spem & felicitatem novam nobis dato: Hæc omnia in exspiraturum nunquam honorem Sacratissimarum Cæsareæ ac Regiæ Romanarum Majestatum, cum humillimis votis atque suspiriis pro perpetuâ Ipsarum incolumitate, Pace quoque, tranquillitate ac salute publicâ. Jam etiam hæc DEI gloria, & gratiarum actio, hic Imperatoris & Neo-Regis nostri Optimorum-Maximorum honor, hæc Eorum laudes, hæc felicitas, hæc denique vota & suspiria ex ore meo audientur. Sed quid dico, ex ore meo hæc omnia auditum iri, qui, si mihi sint linguæ centum, sint oraque centum, totidemque capacissimorum ingeniorum sensus, non centesimam tamen partem augustissimi hujus negotii dignè satis deprædicare possem. Quis enim ego sum, qui tenuitatem & conditionis & ingenii mei lubens ipse fateor & agnosco. De tantis autem rebus si cui dicendum sit, & quidem in tantâ ac tali concione, quâ autoritate, quanto ingenio, quo ore spirituque opus est, ut & æquet dicenda, & eorum, ad quos dicitur, votis judiciumque respondeat? Sicuti enim tanta objecti Majestas, tanta negotii magnificentia & dignitas, tantaque Orbis Christiani felicitas aliud quàm illustrissimum auditorium non recipit, ita idem non nisi disertissimum ac perfectissimum Oratorem admittere debet; Neque enim sublimia atque cælestia humiliter, neque splendida atque illustria obscure ac sordidè, nec magna atque

que

que eximia jejunè viliterque explicanda sunt; Talibus autem hoc negocium constat. Nihilominus tamen audentem pietas mea me fecit; Satius etenim erit quomodocunque dicere, quam, cum non dicere pudor, tacere velle. De Timanthe, pictore quondam perfectissimo, traditur, quod, cum giganteam hominis cujusdam tum temporis personam integram, debitam membrorum omnium proportione, in effigie sine errore representare sibi ipsi non sufficeret, pollicem saltem pinxerit, judicium ex eo de toto corpore spectatoribus relinquens. Hunc Timanthem & ego, jubente imbecillitate meâ, jam imitando minimam saltem partem gravissimi hujus negocii adumbrabo ac proferam, cætera Vobis, Auditores, Vestroque perfectiori ac consummatori judicio relicta erunt. Quam enim tralatitium alicui videri potest, ut mihi ipsi videtur, meo, hominis mediocris, sermone celebrari tantum opus, tam gloriosum, spero, æstimabitur, edi vocem meam annuente & approbante magnificentissimâ ac illustrissimâ maximèque egregiâ isthac coronâ. Sicuti verò Regem Romanorum non sine singularis providentiæ divinæ mirando ductu in felicitatem totius Orbis Christiani electum esse meritò agnoscimus, & jam prædicabimus, ita demum fausta Imperatori ac Neo-Regi Romanorum, Dominis nostris, nobisque ipsis & universo Orbi Christiano apprecabimur. In quem sensum me jam publicè dissertaturum omninò clementissimè ac benevolentissimè auditum iri, meumque hunc sermonem non tam rigidos censores, quam novæ Orbis Christiani felicitatis collaudatores habiturum esse, tam mihi sum certò pollicitus, atque istud nunc ex frequentissimo hoc cætu, & omnium tam intentis in me oculis, inque captam orationem meam auribus augurari mihi datur, idque est, quod obnixè rogo, & quin pro Vestra, quam attentio indicat, pietate exorem, nullatenus dubito.

Quod bonum, felix faustumque sit Vobis, Domuique Vestræ,
Cæsar LEOPOLDE, & Rex JOSEPHE, Augusti! Senatus
B3 Vos,

Vos, consentiens cum populo Romano-Germanico, consalutat Imperii Consortes, Patriæ Patres, & te Josephum futurum Imperatorem! Hisce verbis, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, similibus illis, quibus Valerius Messala, jussu Senatûs Populiqûe Romani, erga Cæsarem Octavianum Augustum, cum Imperator is esset designatus, usus est, omnes hodie sinceriores Germani præ gaudio meritò exclamantes, perpetuam felicitatem Reipublicæ Romano-Germanicæ, & læta quæque toti Orbi Christiano precamur.

** Guevar.
Herolog.
Princ. lib.
1. cap. 30.
seq.
Hug.
Grot. de J.
B. & P. lib.
2. cap. 2.*

Ita naturâ comparatum semper fuit, est & erit, ut nemo hominum perpetuam in terris vitam agat, sed alii moriantur, alii nascantur, lege à DEO summo rerum omnium Conditore ab initio ita constitutâ, quæ lex universalis tempore antidiluviano non equidem adeò gravis fuit hominibus morientibus vel morti proximis, cum * aureâ isthâc ætate homines vitam solummodò haberent propriam, voluntates verò & facultates omnes communes, nec * singularum privatæ possessiones certaq; essent dominia, sed res vacua quælibet priori cederet occupanti. Aliqualem tamen dolorem attulit illis, qui liberis à se procreatis res suas studiis laboribusque suis cultas & excultas apprehensuris ac frui-turis destituti, suaque adeò Consilia & industriam, & quicquid exinde cultum erat, prædam quasi aliorum incursurorum fore prævidebant. Gravior verò partim, partim tolerabilior hæc conditio facta post diluvium, certis rerum possessionibus, distinctisque earum dominiis institutis, ubi sine liberis, legitimis successoribus, jamjam morituri Consilia & industriam suam, labores suos, curas & impensas suas, acquisita denique bona sua, extincto quasi nomine suo, aliorum, inimicorum ac
hostium

hostium non raro avaritiæ & rapinis cedere solebant; Necessè enim est, magnâ cum molestiâ mortem cum obire, qui vitæ suæ sudorem malè relinquit collocatum. Reliquis contrâ, quibus liberi successores supererant, mors jucundior esse poterat, cum, manentibus per renovationem generibus, se quasi immortales esse crederent: Optandus enim Patri filius, ut habeat, qui suam in senectute vitam cum dignitate tueatur, quiq̃ defuncti famam immortalẽ præstet, ita scilicet, ut Patris, factorum lege vitâ orbat, per filium, probitate cum primis instructum, conservetur memoria. Nulla etiam major in terris habetur etiamnum hodie felicitas, quàm honoribus opibusq̃ in vitâ florere, & filios habere bonos, quibus illa in morte relinquuntur, quorumq̃ laudatâ vitâ fama conservetur Patris defuncti. Nihilominus tamen hoc etiam casu meum & tuum primum fuit discordiæ principium, cum primis, ubi successio non septis privatorum inclusa, sed integras Provincias, Regiones, Principatûs, Regna & Imperia completa, tunc certè fratrum quoque gratia rara sæpius est reperta.

Enimverò, creditur & notum est, Noachum orbem terrarum inter tres filios suos divisisse, certamq̃ portionem singulis, Chamo Africam, Japheto Europam, & Semo Asiam, assignasse; Ex quibus Semus equidem portione suâ contentus ex Asiâ, quæ inde Semia quoque dici solet, non excessit. Chamus autem, & post eum nepos ipsius Nimrodus, non contentus Africæ suæ imperio in meridie ipsi assignato, Semo ejusq̃ posteris in Asiâ multa eripuit, ibique in alieno licet territorio Babylonem regiam ædificans, Monarcham se constituit, donec Nimrodo defuncto Assur, Semi filius, sua recuperavit, Regnumq̃ Chaldaicum ad suam stirpem revocavit. Ab hoc igitur tempore, statimq̃ aded ab initio magnarum mundi Monarchiarum ac Imperiorum, ex ambitione & avaritiâ æmulationes natæ, hinc insidiæ & rapinæ, ipsaq̃ bella orta, hinc denique Imperiorum mutationes & translationes provenire, præcipuè, cum Regum & regnantium luxus, ejusq̃ pedisse-
que:

quæ comites insipientia & incuria, Consilia & aulas occuparent; Nec enim ulla Respublica diu stetit, quæ voluptuosorum consilio gesta est, & vix ulla concidit, quam luxuriosi non everterint, vix ulla etiam floruit, quæ non à siccis & sobriis hominibus administraretur; adeoque Alexander M., teste Plutarcho, devicti Darii tentorium ingressus, visisque voluptatum apparatus magnificen-
tissimis, quid, num hoc est regnare? justè exclamasse fertur.

Sed quorsum hæc, vocem audire mihi videor, quæ non nisi vitia atque mala Imperiorum ac Rerum publicarum sonant; Cum hunc de rebus prosperis sermonem institutum esse prædicaretur? Ita sanè! Sed hæc latiùs quodammodò præmittenda erant, ut recentem felicitatem nostram eò meliùs intelligere & comprehendere valeamus. Quæsitum namque & inventum huic malo remedium ex eo, quod vel Regna atque Imperia hæreditaria à Patre ad filium transitoria facta, vel ingruente Regis senectute, aut ingravescentibus Reipublicæ malis atque curis, Imperii consors in tempore eligeretur, futurusque successor certus designaretur. Sed cum Regum ac Heroum filii sæpiùs noxæ, consortes etiam haud rarò degeneres facti in perniciem Reipublicæ conjurarent, tranquillitati Imperiorum & Rerum publ. nec sic quoque semper prospectum satis fuisse exemplis equidem notum est: Nulla tamen unquam Imperiorum ac Regnorum calamitas æquavit illam, quæ ex defectu certi in Imperio successoris orta fuit, eò quod pluribus competitoribus dignitatem vacantem involandi occasio & porta quasi aperta esset. Ut taceam, quæ in Imperio Romano inde ab ejus primordio sub Cæsaribus ethnicis evenerunt, cum justæ DEI omnipotentis contra gentilem idololatriam iræ atque vindictæ adscribi ista fortè queant; Quid inde à tempore Constantini M., primi Imperatoris Christiani variè, ac incidentibus cum primis aliquoties Interregnis, infaustè acciderit, nemini, nisi omnium rerum ante se gestarum planè ignaro, incognitum esse potest. Et quis nescit, proximum toties Imperii fuisse interitum,
quoties

quoties corpus ejus ferè dismembratum capite destitutum fuit. Nam optimus licet tandem succedat, interrumpitur tamen semper aliquid operis boni, intercapedo ipsa & mora, dum transit Imperium, deputatur in damno, molesta certè est. Neque verò omnium Imperatorum tanta fuit aut pietas aut industria, ut consortem sibi Imperii ac certum successorem, licet de se admoniti, adsciscerent.

De Valentiniano Primo Imperatore sic satis bono; Fuit enim solerti ingenio, vultu decens, animo gravis, sermone cultissimus, in loquendo tamen parcus, in puniendis sceleribus severus & vehementis, in negociis industrius, in adversitatibus tolerans, sceleratis infestissimus, in cibo potuque temperans, virtute præstantibus & religiosis amicissimus, paucis, fuit Christianus sincerus, & dignis Imperatore moribus ornatissimus: De hoc, inquam, traditur, quod, cum milites ab eo postularent, ut socium Imperii constitueret, responderit illis; Ut me privatum ad Imperialem dignitatē extolleretis, in vestra erat potestate: At postquam me jam elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro; Vobis tanquam subditis competit parere, mihi verò, quæ facienda sunt, cogitare. Hæc pro autoritate quidem Suâ, cujus tenacissimus fuit, conservandâ Valentinianus, haud tamen Imperii consortem futurumque successorem demum constituere neglexit. Nec sequiùs Divi Imperatores Ferdinandi II. & III., quippe quorum ille, cum vivus adhuc creando Regi Romanorum Comitia Ratisbonæ institueret, causam conventûs ita exposuit; Profectam jam senectutem suam, ægro se & corpore fatigari, & confici curis Imperii, adesseque finem & spes novas; Proinde cupere atq; optare, ut Electores sibi de socio laborum, de Rege Romanorum provideant; Hic verò Ferdinandus III. cum filium ejusdem nominis IV. in partem curarum vocari desideraret, ita præfatus; Experiendo se didicisse, quàm arduum quàm subjectum fortunæ regendi cuncta
C onus;

onus ; Proinde in Imperio pluribus infi-
stente munimentis, duos facilius munia
Imperii sociatis laboribus executuros.

Verumenimverò, quid de Sacratissi-
mo LEOPOLDO nostro Casare, Patre Pa-
trix, Pietate, justitiâ, Consilio & Industriâ,
Optimo, felicissimo, invictissimo, Victo-
riosissimo, dicemus? Nec expectavit hic
Magnus noster Imperator, donec ab Ele-
ctoribus, Principibus, Senatu, Populo ve
aut militibus, quid facere necessitas jube-
at, admoneretur; Ipse, ipse, quæ facienda
erant, dudum cogitavit, &, assistente ha-
ctenus æterni Numinis gratiâ, feliciter tan-
dem perfecit.

*Vid. Legati Gall. Verii
Proposit. anno 1680. in
Comitiis Imp. Ratisb.
cum ipsis Conditioni-
bus oblatis. Item Pra-
tensiones Regis Gall. an-
no 1681. publicat; jun:
Imago Pacis à Rege Gall.
proposita 1682. Frideri-
ci Sinceri Curienfer
Staats Mercurius an-
no 1684. cap. 10. §. 11.*

Justum jam elapsum est decennium,
cum Rex Gallix modernus Ludovicus
XIV, ex animi insolentiâ & magnitudine
ipsaque regnandi prudentiâ ac felicitate
sic satis famosus, sua se ingerere alla-
boraret, aureos montes de restaurandâ &
protegendâ Imperii Romano - Germanici
dignitate ac libertate, si filius suus primo-
genitus in Regem Romanorum eligere-
tur, promittens, fulmina verò & tonitrua
minitans, si repulsam ambiciosi postula-
ti sui ferret; Quod idem postmodum, in
ditio

(1.) ditiones Imperii non tam hostili
quàm inhumano modo irrumpens,
per ministros suos ipsis quibusdam
Electores iisdem vanis pollicita-
tionibus & turgidis minis iterum
tentando proponi fecit. Sed hic co-
natus uti blasphemus contra Deum,
& erga Imperatorem nostrum LEO-
POLDUM injuriosus erat, quippe
quem, pietatem ipsi vitio vertens, ni-
miæ religiositatis accusabat; Ita spre-
tis illius fraudulentis tentationibus
ac fastuosis minis, Philistæam Gallici
Ministri impudentiam risum & re-
pulsam mereri justè statuebatur. Et
quid boni quæso de eo sperari pote-
rat, qui non germanus sed extra-
neus, non amicus sed hostis (2), nec
etiam vocatus nec requisitus, se ip-
sum, non amore erga Imperii salu-
tem, sed ex turgidâ ambitione, in-
gerens, filium suum Imperio Roma-
no-Germanico invito obtrudere sa-
ragebat, insuperque nihil nisi Do-
minatum universalem & Tyranni-
dem (3.) regiminis spirabat, ad
quænam enim Regna ac Provincias
usque indomitæ ejus cupiditates

C 2

(1) non *Vid. Propos. Caesar. in Con-
ventu Electionis Augustæ anno
1689. & Teutschlands Klage-
Straff- und Ermahnungs-
Rede an seine untreue und ver-
râtherische Kinder / ibi:
Frankreich buhlet zwar um
Teutschland / wo bleiben aber
die präsenten für die Braut?
Wo bleibet die Careffe, so ein
Galan gegen seiner Liebsten
erzeigen muß? Seind die
Einquartierungen / Contribu-
tionen, Brandschakungen und
andere exactiones, der Fran-
kosen Präsenten? Seind ihre
Tyranneyen / so sie gegen
Teutschland verüben / ihre Ca-
ressen, so hole der Teuffel die
Hevrath. Das ist fürwar ein
unhöflicher Galan, welcher sei-
ne vermeinte Braut tyranni-
stret / und ihr / ehe er derselben
Oberhaupt ist / Gesetz und
Ordnungen vorschreibet.*

(2) *Vid. Decret. Caesar. relegat.
contra Legatum Gall. Rober-
tum de Gravell. in Comit. Impe-*

(3.) *Huc spectat illud Regis, Car tel est nostre plaisir.*

n) *Vid Machiavell. Gallic. 1675. (1.) non evagantur? Quid pro honore
 & Memor. Legati Cesar. Comi- Dei, quid pro Ecclesiâ & Republicâ
 tis de Ladron ad Canton. Hel- salutis ab illo expectari poterat, qui
 vet. Bada congregatos. 1690. Julianum Apostatam in eo, quod
 ibi. Handgreifflich allein das Christianos iste omnes aulâ & mili-
 hin abzielend / damit die Cron tiâ expulerit, honoribus & bonis spo-
 Frankreich alle andere poten- liaverit, sceleratos verò foverit, iis-
 tien und freye Lande thro un- que potestatem illudendi Christianis,
 terwürffig. machen könne. quacunque id petulantia fieri posset,
 Quò pertinet gloriosum illud concesserit, imitando, Evangelicâ
 solatium à Ministris Gallicis religionis extirpationi, non ex pie-
 Principi cuidam Imperii da- tatis Zelo, sed ex absolutissimâ irreligi-
 zum, un peu de justice & beau- giositate, (2.) intentus, ut omnes Chri-
 coup de grace du Roy de Fran- stianos, qui illam religionem profi-
 ce; quasi hac ubique terrarum tentur, bonis & honoribus prius
 omnia penetret & absolvat. exutos, non tam Regno suo expel-
 (2.) La Monarchie Universale leret, quàm ad veritatem Evangeli-
 de Re Luigi XIV. lib. 3. aut. cam abnegandam, (3.) ignem, ensem,
 Leti. (3.) *Vid. Spiegel der rotam, funes, & quid non cruciatu-
 Frankösischen Tyranny anno um adhibendo compelleret, omnia
 1686. (4.) Vid. Warhafftige und scelera pro miserorum miseriâ au-
 umständliche Geschichts- Erz- gendâ admisit; Qui porrò tyrannis
 zählung von dem Nordbrand / circumsietur, templa, non aliena,
 verbeer- und Verwüstung der sed propriae suae (4) religioni sacrata.
 Reichs- Freystadt Speyer (quod de barbaris nunquam, nedum
 1689. & Frankösische Tyrans de ullo unquã Rege Christianum no-
 ney modò allegat. item. men profitente auditum) funditus
 Deutschlands Klag- Straff- evertit, in nihilum redegit, curias
 und Ermahnungs- Rede. ibi. spoliavit, mactavit innoxios, inque-
 Seynd das Catholische Ap- stavit.
 stel / welche die Catholischen
 Erz- Bischöffe, Ebur- und Fürsten von Land und Leuten verjagen / die
 Catholischen Kirchen und Clöster ausplündern und verbrennen.**

tavit pacificos, omnibus est inimicus, atq; adeo quem, ut summè ambiciosum, omnis gloria frustretur, quique omnibus amicis careat, meretur. Quicumque enim Princeps, ait dextrimus ille Regum & Principum doctor Hispanus Comes de Onnate, ampliandorum Regnorum & augendarum ditiorum gratiâ causam præbuerit imminuendi cultus divini, non Rex legitimè imperans, sed tyrannus violenter agens vocabitur. Quod si tyrannum dicimus, qui Civitates desolat, homines occidit, innocentes persequitur, virgines vitiat, & Regna exhaurit; Quid obstat quæso, quin tyrannus sit Princeps, qui templa violat, qui Sacerdotes non reveretur, & quod omnium pessimum, qui Deorum cultum flocci pendit? Non est major tyrannus, nec in alium tyranni nomen justius competit, quàm in Principem aut dynastam, qui adversus Deos suos irreligiosus est: Nullum enim flagitium aut facinus tam nefarium est, quod non perpetret, cui Deorum reverentia perit. Hæc ille, quo etiam teste Romani hoc persuasissimum habuerunt, Principem, qui Deorum templa ausit evertere, parum de Diis religiosè sentire, factumq; tale omnibus bonis maximo stupori, toti orbi (2) offendiculo, cæterisq; Regibus atq; Principibus dolori acerbitatiq; meritò esse debere. O infelicem etiam Principem, omiseram Rempublicam, in quâ subditi Domino non nisi obcongaria serviunt, & à domino non nisi observitia (3.) amantur & proteguntur! Nunquam enim stabilis est inter homines amor mercenarius; Regemque inter & subditos præprimis amor, nisi verus

C3

(1.) Enlarseten. Frankreichs 1670. *verba ultima sunt* Alle Völker in der Welt werden seine (Regis Gallie) Feinde oder seine Schlägen werden. (2.) *Coincidit Memoriale Legati Caesar. ad Helvet. fol. preced. b. allegat. in verbis.* so heilig zu halten zugesagt u. geschworen 20. Jährigen Stillstandt oder armistitium mit höchsten scandalo der ganzen Erhabren Welt und Christenheit schändlich umgestossen und gebrochẽ. (3.) Deutschlands Klag. Straff- und Ermahnungs-Rede? *ibi. Rex Gallie subditis vult imperare, non Regulis; Examine et die jura Statuum Imperii Romano-Germanici gegen der Französischen Stände Freyheiten.*

lit,

fit, in præsentissimo versatur discrimine Respublica; Id quod Regnorum & Rerump. sæpius ruinæ ac desolationes testantur, ubi vel ipsi Principes, vel improbi & turbulenti in aulis homines heris suis, rationes saltem dilatandi imperium, augendi vectigalia, imperandi tributa & indebita opera, æque alieno obstringendi subditos proponunt, de conciliandis autem subditorum voluntatibus eorumque salute nihil monent, nec etiam de Deo, cujus licet unius favor omninò plus quàm omnium hominum robur valeat, nisi ex ritùs fortè consuetudine, cogitant, cum tamen Regum ac Principum magis intersit, ut sint verè pii & amabiles, quàm pecuniosi, adeoque, docente Guevarâ aliisque, quibus pietas & probitas cordi est, probatissimis Politicis, Proditor Principis sui habendus, qui multas ipsi accumulare pecunias, & ditiones quocunque modo ampliare studet, animos autem ab eo subditorum alienat. Contrà, boni Principes adeò se præbent erga subditos suos affabiles atque benignos, ut hi ultroneâ in alint ipsis voluntate, quàm stipendii gratiâ servire. Et ejusmodi amor mutuus æquè ac ipsa vita ante extremum halitum non finitur.

Audiendus itaque potius erat Sacratissimus Imperator noster LEOPOLDUS, Pater patriæ, Consilio & industriâ pietissimus, fidelissimus; Qui alios, irreligiosum præcipuè Gallum, tam Imperio quàm pietate antecellit, & quod non vitio, sed æternæ laudi ipsi ducendum, Religio virtutum prima in corde ejus, velut in digno folio immota sedet ac triumphat, & tanquam regina cæterarum virtutum consortio stipata eminent; In quo concurrunt vitæ sanctitas, Conscientiæ puritas, & justitiæ æquabilitas. Huic obsecundandum, cujus pietas nostra salus, cujus consilium nostra felicitas, cujus industria nostra quies. Huic denique obtemperandum, qui non sux saltem religionis consortes (1.), sed

(1.)
Vid.

nos
liter: Cas: responsor: ad Princip. Arauson: nunc M. Britannia Regem
Vilhelmum d. 13 Novemb 1688.

nos etiam, qui Augustanæ Confessione addicti sumus,
 æquè ac illos (erubescere præ pudore Domitiane Galle!)
 clementissimè & paternè hæcenus fovit atque tutatus
 est, ac etiamnum hodie fovet ac tuetur. Sicuti enim
 (1.) religionis diversitas in causis bonum publicum
 concernentibus distractionem animorum causare
 non debet; Ita omni utique laude (sunt verba poten-
 tissimi Regis Sueciæ Caroli XI. (2) verè Regia) major
 est Cæsareæ Majestatis præclara sententia de spernen-
 dis commentis Gallicis sub religionis prætextu Chri-
 stianæ rei incolumitati insidiantibus, ac ad fovenda a-
 nimorum disidia repertis; Haud enim religio à Deo
 constituta est in mutuum mortalium perniciem, vel
 conscientiarum libertatem in funestas collisiones tra-
 hi oportet. Neque verò hic optimus Cæsar pro lubi-
 tu inordinatovè arbitrio dominatur, sed Consilio &
 industriâ piè ac feliciter pro salute publicâ vigilat, gu-
 bernet; In hoc enim Nostro mens bona Regnum pos-
 sidet, bonusque adeò & beatus est Princeps, ut tutus in
 gremio cujusvis subditorum (attendite cum pudore
 vestro perfidi ab utroque latere hostes) vel inermis
 dormire possit; & nihil unquam fecit, quò minùs
 deposito etiam Imperio privatus tutò queat vivere.
 Quapropter jure meritissimo hoc Ipsi ære perennius
 monumentum dudum exactum & exstructum est;
 Quod Imperator LEOPOLDUS Magnus, Pius, Pacifi-
 cus, Felix, inclytus, cum Suis à DEO æternum sit bene-
 dictus, eorumque virtutibus & auspiciis Imperium
 usque ad finem mundi feliciter sit constiturum; Vi-
 tæ enim laudatæ Princeps animâ & Cor est Reipu-
 blicæ.

(1.) *Roban.*
Trutin Stat.
Europ. disc. 5.
 (2.) *In lite-*
ris ad Impe-
rat. in nego-
cio Dano-
Holsatico d.
8. May.
18.
1689. datis.
jun. Electo-
ris Bran-
denb. Frid.
III. remon-
stratio m.
Decembr.
1688. con-
tra idem
commen-
tum Gall in
Comitiis e-
gregiè facta.

Dolorem.

(1). Huc et-
iam perci-
nent, qua
de praten-
sionibus Re-
gis Gallie
super Impe-
rium, & de
preminen-
tia Regis su-
per Impera-
torem pe-
culiari tra-
ctatu scri-
psit Aubery
1645. & an-
no 1667. ex
eo tractatu
excerpta A-
xiomata
Politica
Gallicana.

Dolorem equidem hic optimus noster, quom ex
jam dicta Galli perfidia & injuria non poterat non sen-
tire, pro summa sua pietate ac sapientia comprimendo
dis simulabat, Deo vindictam & omnium rerum arbi-
trium committens, cum tum temporis aliud nec con-
siliium nec remedium praesto esse aut excogitari posse
videretur. Fatalis etiam optimo Imperatori Ipsius-
que inclytæ Domui, quin toti Imperio & universo or-
bi Christiano esse videbatur annus hujus seculi octo-
gesimus tertius non ita pridem elapsus. At verò, quàm
stupendâ felicitate Vienna Austriae jam quasi agoni-
zans liberata, & Domino suo Imperatori triumphanti
restituta sit, quantamque nefarii hostes poenam scele-
rum suorum dederint haecenus, per totum orbem du-
dum inclaruit, & in ore etiam est puerorum. O abscon-
dita Dei judicia! Irruebat verò tandem ab altera et-
iam parte Gallorum perfidia, & plusquam barbarica
sævitia; quod novum malum novo consilio atque re-
medio indigere certum erat, sui que officii illud esse
optimè tenebat Imperator noster LEOPOLDUS. Peri-
culum ille hic, spem novam in Josepho nostro illic
observans, non diutiùs cunctandum esse ducebat;
Præsto erat Illius Consilium & Industria. Proclama-
bat quasi verbis Nervæ Cocceii Imperatoris quondam
Romani inter bonos non minimi; Quod felix faustum-
que sit Electoribus, Principibus, Senatui Populoque
Romano-Germanico, mihi que ipsi, Rex Romanorum
& futurus Imperator Romano-Germanicus pro cor-
roborandâ Imperii securitate atque salute requiritur!
Ut grave hoc negocium Augustæ Vindelicorum hac
vice conficeretur, suadebat. Annuebant salutari Im-
peratoris consilio Eminentissimi ac Serenissimi Megi-
stanes

stanes Imperii, Principes Electores, emissis ab Archi-
Præsule Electore Moguntino more consveto literis in-
vitoriis, Augustam, ubi Imperator cum Augustâ &
Josepho, Suis, jam tum commorabatur, certatim quasi
convolantes, exceptis potentissimis Saxone & Bran-
denburgico Electoribus, qui impediti licet ipsi adesse
non valerent, gravissimo huic negotio tamen haud
defuerunt, sed per splendidissimos Legatos, junctis suis
cum præsentium consiliis, illud, quantum in ipsis erat,
promoverunt. Non latebat equidem Imperatorem,
quid quoad locum eligendi & coronandi Regis Roma-
ni inclytæ Imperii civitati Francofurto ex Aureâ Bullâ
juris competeret; Sed nec isti derogatum quicquam
hoc extraordinario casu volebat, quod literis ad Sena-
tum illius Civitatis clementissimè contestabatur, & à
Senatu humillimæ pro tantâ clementiâ grates ageban-
tur. Ne quoque officiis suis, quæ Electionis & coro-
nationis actui ab hac Civitate debentur, ea deesset, præ-
sentiam equidem ob loci distantiam & angustiam ter-
mini deprecabatur, suo tamen loco pro observandis &
præstandis justis Jacobum Ernestum ab Hagelstein sub-
stituebat Senatus Francofurtanus. Initium igitur Con-
sultationum, Deo summo omnium rerum directore,
prius invocato, fiebat Augustæ.

Sed quanta statim copia Imperatoriæ pietatis, gra-
tiæ, fidei & sollicitudinis pro Imperii salute & securi-
tate, ex solenni Propositione se diffundens diffluebat!
Præmissâ Gallorum perfidâ irruptione & inhumanâ
cruculentiâ, quâ contra datam ac juratam fidem, contra
Jus naturæ & gentium, sine ullâ causâ, eoque præcipuè
tempore, cum exercitus Imperatoris & Imperii ultra
ducenta milliaria à Rheno, contra abjuratum Chri-

*Vid. Propo-
positio Casa-
rea d. $\frac{2.}{12.}$*

Decembr.

1689. Augu-

stiani facta.

D

stiani nominis hostem Ottomantum graviter ageret ac
 operaretur, celeberrimas antiquitate urbes, splendidis-
 sima templa, & magnificentissima Palatia devastata,
 quatuor Electoratus unâ cum aliis ditionibus Rhena-
 nis, nullâ nec Dei nec religionis habitâ ratione, inopi-
 natâ planè vi & invasione abreptos, immanissimum
 Christianorum hostem quibuscunque modis ac mediis
 ad continuationem belli contra Imperium atque or-
 bem Christianum instigatum & communitum esse no-
 tum erat, in eo jam stare consilia docebat LEOPOLDUS
 Imperator, ut internæ securitati opera daretur, &, cum
 incidentibus sæpius in Imperio vicissitudinibus exitio-
 sa plerumque oriri solerent simultates ac revolutiones,
 his malis intempore præveniendis & avertendis com-
 mune impenderetur studium: Cum etiam omnia &
 singula Regis Galliæ contra Imperium hæctenus mul-
 toties repetita plusquam barbarica demum attentata,
 unicè ex insatiabili ambitione orta, & ex conceptâ du-
 dum spe Regiam Romanam coronam aut extortâ ele-
 ctione, aut verò vi publicâ sibi suæque Domui arripien-
 di inflammata essent, certum ac indubitatum esse, Re-
 gem Galliæ, quamdiu ipsi pro obtinendo proposito ac-
 sco-

Vid. M. Be-
han. Arroy
Questions
decidées
ann. 1634.
& illis op-
positus liber
bipartitus
Alexandri
Patritii Armacani Mars Gallicus dictus ann. 1637 editus; Entlarffete
Frankreich anno 1670 iun. Sinceri Germani Sendschreiben an Ludovick-
um Seldenum 1672. & Deutschlands Klage Straff- und Ermahnungs-
Rede an seine untreue und verrätherische Kinder. 1673. item Französische
Die Türcken. part. 1. & 2. ann. 1673. & Machiavellus Gallicus constans
100. axiomatibus Polit. Gallicanis. ann 1675. Item Discursus de moder-
nis Europa rebus & negociis pro reducendâ Monarchiâ Gall. ad termi-
nos majoris moderationis 1681. Patriotische Einsältige Gedancken ü-
ber die vorgegebene Friedfertigkeit der Frankosen 1682. Item das Re-
giersüchtige Frankreich 1684. La Monarchie Universale de Re Luigi XIV.

scopo suo quicquam spei superaret, à publicis & clandestinis machinationibus suis non cessaturum, neque adeò in Imperio, si præcipuè capite destitui illi contingeret, concordiam, pacem & quietem certam atque constantem sperari posse: Contrà verò, quò magis Galliæ Regi spes & occasio obtinendi ea, quæ hæctenus intendit, præscinderetur, eò magis securitatem & tranquillitatem internam in Imperio corroboratum iri; Huic autem nullum certius fore medium, quàm si vivo Imperatore & durante præsentè bello, Imperio Romano-Germanico, mediante electione Regis Romanorum de certo successore prospiceretur. Addebat pius Imperator, Se quidem per Dei gratiam viribus animi & corporis ita vigere, ut non jam saltem, sed per aliquot adhuc futuros annos Imperio ejusque bono se præfuturum ordinario naturæ cursu speraret; Verùm, cum non minùs, ac omnes homines, casibus humanis, certæque mortis horæ incertæ subjectus esset, ex animo sollicitum se metuere, ne, si Thronum Imperialem præter spem citiùs vacare contingeret, Imperium Romano-Germanicum horrendis confusionibus involveretur, Gallicæque ambitioni & impotenti dominatui in prædam cederet, quibus aliisque malis non æquè tantis Imperatores ac Principes Imperii electione Regis Romanorum vivo adhuc Imperatore sæpiùs obviam ivissent, ac obicem feliciter posuissent. Attenti Eminentissimi ac Serenissimi Electores, absentiumque splendidissimi Legati, summam optimi Imperatoris pietatem agnoscebant; Itaque, cum Imperii salus Regem Romanorum requireret, Electio decreta.

Quis autem hujus fastigii capax, quis tanto oneri suffe-
rendo sufficiens, incertum videri potuisset, nisi LEOPOLDI
Magni consilium jam antevertisset. De Samuele Prophetâ 1. Reg.
tradit Scriptura Sacra, quod, cum jam consenuisset, Rectores 8.

D 2

populo

*Ceriziers
Tacit. Gal-
lic. in Cbil-
derico I. p.
m. 160.*

*Forstner.
not. Pol. ad
Tacit. an-
nal. 3.*

populo (Reges illi tum temporis nondum erant) filios suos Joëlem & Abiam imposuerit ; Naturaliter enim parentibus in honore filios relinquere lætitiæ est ; Licet, novis ac junioribus his rectoribus ad avaritiam declinantibus , à litigantibus munera accipientibus , & multa injustè in tenuiores perpetrantibus , hoc ex pio Patris affectu filiis commissum populi regimen improsperum habuerit eventum , & ad Regem constituendum Deus à populo provocatus sit. Sed quid optimus Imperator LEOPOLDUS ? Nolle equidem se ex paterno fortè amoris affectu , dixerat jamtum hic Noster, filio suo natu maximo , Regi Hungariæ, laudem ultra meritum tribuere , nec illius honorem commodo atque salutis Imperii præferre ; Amplissimis autem Eum aliquando Regnis , Principatibus ac ditionibus instructum adeò fore, ut & contra Turcam antimurale veluti præsidium, & contra quosvis alios hostes, potentissimos licet, ingentem Imperio opem ac tutelam præstare valiturus esset. Ita pius Imperator filium suum Josephum optimum non tam dignitati Imperiali, quàm summo oneri obtulerat ; Nec sine ratione. Cum enim obligatio Principis erga liberos ex solo naturæ sit instinctu, erga subditos verò debitum justitia injungat, plus subditis suis Princeps debet, quàm liberis. Licet etiam non nisi ineptos habeat liberos, Pater tamen manet ; Si verò subditos non fovet , salutem eorum non curat, eosve in periculis & malis deserit , Regis ac Principis nomen non meretur : Sicuti enim sanguis fundamentum est paternitatis, ita Salus populi est basis Reipublicæ , quâ sublatâ tollitur etiam justum cum ipso obsequio imperium , quippe quod nihil est, nisi cura salutis alienæ : Quæ omnia piissimum Imperatorem pro

pro ingenti suâ sapientiâ non latebant. Obstare saltem videbatur adhuc immatura Josephi ætas: Quemadmodum enim summè periculosum est Reip: , si Juvenis ex Academiis veniens statim desiderare valeat locum inter Consiliarios Principis, vel ambire officium Consulis vel Præsidis; Ita sub Principibus maximè nimis adolescentibus ingentes semper calamitates pati Regna solent; Veterumq; ea certè fuit circumspectio, ut nunquam in negociis publicis juvenum uterentur operâ. Nec perspicacissimis Principibus Electoribus incognitum erat, quid ex Henricorum, Fridericorum aliorumque Imperatorum ac Regum Romanorum tenellâ ætate damni accidisset Imperio: Ut enim pecuniis Respublica defendatur, non tamen nisi bonis gubernatur consiliis. Multa autem solent esse Principum juvenum vitia, quæ sicuti ætas suadet, ita honestas prohibet, tantoque majore versantur Principes & Regna in discrimine, si viris destituantur sapientibus, quorum monitis salutaribus ab illis avocentur. Maximo etiam Princeps a dolescens in discrimine versatur, quando inde ab adolescentiâ viam insistit errore implicatam; Quare haud parùm etiam referre meritò credebatur, sic an secus Rex seu Princeps futurus regens educaretur; Nunquam enim rectè & ex ordine regetur Respublica, nisi rectè & ex ordine regatur vita Principis. Sed præstò erat hîc etiam Cæsaris Leopoldi Magni industria.

De Regum juniorum in Persiâ educatione hæc à Platone in Alcibiade Priore notantur. Postquam, inquit, septennis factus est puer, ad equos & equitandi Magistros abit, & ad Venationes proficisci incipit. At ubi annos bis septem implevit, suscipiunt puerum hî,

D;

quos.

*Brunne-
mann. J.
Ecclesiast.
lib. 1. cap. 5.
§. 11. ibiq;
Stryck. ad-
dition.*



quos illi regios Pædagogos nominant; iiq̄ue sunt quatuor; Sapien-
tissimus, justissimus, temperantissimus, & fortissimus; quorum Pri-
mus docet cultum Deorum & Regias institutiones; Secundus ve-
ra loqui per omnem vitam; Tertius, ut à nullâ voluptate Rex supe-
retur, ut liber esse assuescat, & ut reverà Rex sit, imperans primùm
his, quæ sunt in ipso, & iis non inserviens; Quartus impavidum & in-
trepidum esse instruit, ut qui, ubi timet, servus sit. Hæc Plato. At
verò, benè notate, Auditores, ea, quæ jam verè referentur! Haut ex-
pectavit Magnus noster LEOPOLDUS septimum Josephi, nedum
bis septimum ætatis annum. Nec ipsa Josephi verè Regia indoles ab
his quasi terminis præscriptis moram sibi injici passa est. Nondum
quintum ætatis agebat annum hic Rex noster Josephus, cum equis
gauderet & armis, adscitisque in consortium optimis quibusque ju-
venibus aciem instrueret, dirigeret. Subincidunt hic, Auditores &
animum meum non tam turbant, quàm, nescio quo omine, in admi-
rationem rapiunt ea, quæ de Christiano & Germanico illo Alexan-
dro Magno, ut ab Hispanis vocari solet, Carolo Vto. videlicet Impe-
ratore referuntur, quod scilicet puer adhuc a spectatione teli mirificè
delectatus fuerit, adeò, ut, cum jussu Maximiliani Imperatoris à ce-
lebri illo Wittebergenſi pictore Lucà effigies ejus Mechliniæ depin-
geretur, Carolus autem pro excitatissimo suo ingenio sapiùs ad di-
versa loca respiceret, dirigente ejus Præceptore, qui ipsius naturam
benè norat, telum egregiè fabrefactum ad parietem adversum col-
locatum, & hoc modo, cum Carolus oculos à telo non deflecteret,
pictura feliciter absoluta fuerit. Sed redeamus ad Regem nostrum
Josephum: Hic dictâ modò ætatulâ cum arma indutus aliquando
ad Parentem optimum Maximum tenderet, ab occlamante excubi-
tore interrogatus, quis adesset, Imperator adsum, heroicè respondit.
Quis non ex hoc saltem, aliquid plus Josepho nostro ab ipsâ naturâ.
datum & concessum esse, persentisceret? Multos certè invenias
Principes, in quibus flos ætatis & maturitas mentis contendunt.

De laudato jamtum Imperatore Valentiniano historiarum mo-
numentis

numentis comprobatum est, quod, cum Gratianum filium suum admodum adolescentulum, nec dum benè puberem, in Imperii confortem adsciscere vellet, hanc novationem non probasset Senatus, nisi & Patrem virtute excellentem, & moderatum esse adolescentem perspexisset: Verùm, cum non hoc saltem, sed plura etiam de populo Romano Valentinianus meruisset, æquisimum in honoribus assignandis esse credebatur, paternorum potiùs meritorum, quàm teneræ filii ætatis habere rationem; Aded quoque per se moderatus Gratianus, tantusq; evasit Christianæ orthodoxæ religionis assertor, ut non minori populo Romano, à quo fuerat electus, jucunditati, quàm Patri, dum vixit, lætitiæ fuerit, qui quidem immortalem in eo sui memoriam post obitum reliquit; In filio namque virtute præstanti semper vivit Patris defuncti memoria. Quod gratiâ & pace Vestra fiat, Eminentissimi ac Serenissimi Electores, Principes, cæteri- que Imperii statûs inclyti. Vos, (rumpantur licet in mundo hostes, fremant in orco Dæmones!) Vos, inquam, omni exceptione majores produco testes, Sacratissimum Imperatorem nostrum LEOPOLDUM pietate & virtute esse excellentissimum; Tuum, ô Republica Romano-Germanica, provoco, sed quid provocare me dico, cum in amplissimâ formâ adsit, testimonium, longè plura de te meritum esse LEOPOLDUM tuum. Neque hic etiam silentio prætereundum vel dissimulandum, quod potentissimus Suecorum Rex Carolus XI. non tam ex arctâ & integerrimâ, quæ Imperatorem LEOPOLDUM Regemque Josephum inter & Ipsum intercedit, necessitudine, quàm, (explicantibus id præclarè gratulatoriis Ejus ad Imperatorem, electione finitâ, datis literis) ex sincero erga Imperium Romano-Germanicum totumque Orbem Christianum favoris ac benevolentia affectu, in Comitibus Imperii jamtum proponi fecerat, cum primis verò Serenissimis Electoribus, pro singulari cum Iphis amicitia, non occultaverat, Electionem Regis Hungariæ Josephi in Regem Romanorum sibi gratissimam fore ac æstimatissimam, additâ inter alias hac ratione, quod Imperio sub regimine Cæsarum ex inclytâ Austriacâ Domo benè fuerit, & præcipuè
sub

sub auspiciis Sacratissimi Imperatoris moderni LEOPOLDI arma Christianorum contra Turcam tantos fecerint progressus, ut Cæsares suæ Majestatis per id acquisita gloria & merita omnem laudem transcendissent, plurimaque ad eò bona & emolumenta ex hac electione Imperio ac universo orbi Christiano speranda & expectanda essent: Quod encomium uti verissimum & Gallicâ arrogantia nobilius, ita consilium verè Christianissimum habitum, Gallicæque ambitioni, dolisque ac periculis plenæ ingestioni præferendum utique esse, communi omnium bonorum judicio constitutum.

Sed quid prohibet, quin & hîc audiamus ipsam gloriosissimum Josephi Parentem LEOPOLDUM Cæsarem, Principem, hostium etiam immanissimorum confessione Sapientissimum, justissimum, temperantissimum, fortissimum? Quem sapientia felicem, bonitas amabilem, justitia formidabilem cunctis fecit. Fieri profectò nullo modo potest, ut Reipublicæ medeatur, nisi is, cujus id munus est, ipsam Rempublicam ejusque morbos & affectûs penitus ac intimè cognoscat; Et qui cæco insolentis cerebri ductu imperare præsumit, non cum regnare, sed turbare ac desolare Remp. certum est; Potestas enim cum vitiositate conjuncta, declarante ita Plutarcho de Principe indocto, nervos addit perturbationibus. Quâ etiam ratione Reip. tam lubricum clavum geret, qui virtutem prudentiæ regnativæ nec penetrat nec curat? Licet hîc, magno Rerumpublicarum malo, passim ac sæpius graviterque impingi experientia doceat. In quonam autem plenior quæso Imperii cognitio existere potest, quàm in Cæsare nostro LEOPOLDO? Quippe qui non hodie, nec heri, nec nudius tertius eam primùm acquisivit, sed ad quem & statûs, & morborum, & mediorum, eorumque justæ applicationis exactissima notitia inde ab aliquot seculis, & à tot gloriosissimis majoribus, unâ cum sanguine, & lacte quasi materno traducta, neque ad eò ab alio, quam ab hoc optimo Patre filius æquè optimus eandem meliùs ac certius addiscere poterat.

Assicura-

Affecurabat Sacra Cæsarea Majestas lectissimum E-
 lectorale Collegium, Se filium suum Josephum omni
 pietate, Regiisque & Archiducalibus virtutibus singu-
 lari curâ paternâ imbui & educari fecisse, nec sine in-
 genti gaudio attentè observasse, quod hic Suus à DEO
 ter optimo maximo ultra ætatem præmaturâ ratione
 atque ingenio, forti etiam & heroico, pacifico tamen
 simul animo, aliisque egregiis talentis & dotibus naturæ
 adeò donatus sit, ut ab iis omne id expectari queat, quod
 tam excelsâ progenie, majorumque gloriosissimorum
 honore ac laude dignum, simul etiam Sacro Imperio
 Romano-Germanico toti que Orbi Christiano utile &
 proficuum esse possit & futurum sit. Præsentem equi-
 dem Josephi ætatem suscipiendo & sufferendo effecti-
 vè Regimini nondum per omnia sufficere; Hanc ta-
 men Electionem pro stabiliendo futuro successore, &
 avertendis, quæ in Interregno plerumque oriri so-
 leant, & ab horum præsertim temporum confusione
 metuenda sint, malis, reprimendis etiam hostium ma-
 chinationibus præcipuè intendi: Cæterâ, Sacram Suam
 Cæsaream Majestatem per Dei gratiam in eo adhuc sta-
 tu atque vigore esse, ut Divini Numinis auxilio per ali-
 quot adhuc annos, & ad minimum tamdiu curam Im-
 perii se sustenturam confideret, donec sub sollicitâ suâ
 directione maturesceret, Imperii que habenas tractare
 capax * esset noster Josephus; Et si quid etiam hu-
 mani sibi LEOPOLDO Cæsari præter spem citius acci-
 deret, Electorali inclyto Collegio provisionalem Im-
 perii curam Aureæ Bullæ congruam competere & in-
 tegram esse.

(*) Ita no-
 tanter de
 Carolo II.
 moderno
 Hispania-
 rum Rege

E

O anno 1685.

*referebatur: Le Roy a declaré, qu'il vouloit gouverner par luy meme, &
 qu'en effect tous ceux qui ont quelque grace à demander, s'adressent
 directement à Sa Majesté; Et qu'elle s'informe de l'estat deses Roiaumes
 & Domaines, afin de mettre ordre à tout.*

O quàm incomparabilis LEOPOLDI Domini nostri pietas at-
que sinceritas! Quid, obsecro, tantâ Majestate dignius, quid ab
Imperatore magnificentius proferrî, quid à Rege vel Principe bono
humanius pariter atque utilius excogitari, quid denique à Patriæ
Patre suavius proponi poterat? Beata verè Respublica, ubi sincere-
rum in Principe amorem subditi inveniunt! Amor enim perfectus
& merus ubi est, ibi nullum vel verbum vel obsequium est simu-
latum.

Animadvertēbant hæc omnia pro summâ sapientiâ suâ Emi-
nentissimi ac Serenissimi Principes Electores, & in toto terrarum
orbe nec meliorem, nec, cui Regia Romana dignitas & corona, inque
Imperio successio conferretur, æquè dignum, nedum digniorem
Josepho nostro dari, unanimiter statuebant. Quapropter con-
sultatio de eligendo Romanorum Rege & futuro Imperatore acta
jam erat & peracta. Rogabant de salute Imperii solliciti Electores
in loco Sacro destinato, eâ qua par erat submissione, Imperatorem,
ut filium suum per dilectum Josephum ad suscipiendum dignita-
tem Regiam Romanam persuaderet. Non hoc saltem ab optimo
Parente ex voto rogantium heroico præstabatur alloquio, sed & à
jucundissimo filio Josepho ex voluntate Magni Parentis non minùs
eleganti oratione animosè respondebatur. Verbo, Josephus erat
Rex Romanorum. Supererat saltem, ut eodem electionis die so-
lennis fieret proclamatio, eamque postridie festiva exciperet co-
ronatio; Quod utrumque etiam promiscuis sine numero votis &
acclamationibus pro omnigenâ prosperitate feliciter factum, & sic
hoc totum ac tantum negotium (laus & gloria sit æterno Numi-
ni!) optatò confectum atque perfectum: Scilicet, Josephus Pri-
mus est Rex Romanorum.

Quidni ergo nos quoque pietas jubeat, lætitia excitet, ut ite-
rum iterumque exclamemus; Quod bonum, felix, faustumque
sit Vobis, Domuique Vestræ, Cæsar LEOPOLDE, & Rex JOSEPHE,
Augusti! Senatus Vos, consentiens cum populo Romano-Germa-
nico,

nico, conſalutat Imperii conſortes, Patriæ Patres, & te
Joſephum futurum Imperatorem. Nunquid etiam
laudatiſſimis Electoribus pro eximiis in Patriam no-
ſtram Germaniam meritis tantas, quantæ Iſtis debentur,
gratias agere morabimur? Profectò, Eminentiffimi
ac Sereniſſimi Principes Electores, quod non dignè
ſatis Vobis grates agantur, nec referri queant, non tam
vitio debitorum, quàm magnitudini Veſtrorum be-
neficiorum tribuendum, obſecro, putabitis, cum om-
nia conſervandæ Patriæ cauſâ (ò quantus meritorum
numerus!) feliciter geſſeritis, & Reipublicæ Romano-
Germanicæ dignum immortalitate Regem & futurum
in Imperio ſucceſſorem (ò quantus beneficiorum
cumulus!) dexterrimè elegeritis; Quo egregio Veſtro
facto nebecula illa injuriarum atque inſidiarum ho-
ſtilium, quæ Soli Reipublicæ obſcurationem minaba-
tur, per gratiam Dei diſcuſſa, morboque, qui integri-
tatem Imperii non parùm inminuebat, ſublato, in
pudorem & terrorem hoſtium priſtinus Imperio re-
ſtitutus eſt vigor.

De Imperatore Gratiano refertur, quod nomen
habuerit & omen, dum cibi, vini, ſomni que parciffimus
& libidinis victor, erga omnes etiam, bonos cumpri-
mis, gratioſus & beneficus, nec non omnibus gratus &
acceptus fuerit. Et ſanè optimum eum Imperatorem
fuiſſe, vel ſola Chriſtianiffima illa, quam prælio cum
numerofiori Gallorum exercitu decertaturus ad equi-
tes & milites ſuos habuit, oratio teſtatur. Si quid in
nomine ominis eſt, Joſephus noſter Imperium Roma-
no-Germanicum ſapientiâ ſuâ conſervabit ut primus,
& univerſum orbem Chriſtianum virtute & auxilio
Jeſu Chriſti ſalvabit ut ſecundus. Si quid in nomini-

Et

bus

Genef. c. 39.

v. 5. & c. 41.

Matth. c. 1.

bus est ominus, quod reverà sapiùs inesse exemplis non paucis constat, Josephus, Johannes, Jacobus, Ignatius, Antonius, Eustachius, id est uno nomine Josephus Rex noster Romanus, qui scilicet omnia isthæc nomina felici omine tenet, fortitudine in adversis, recuperatione perditorum, Zelo gloriæ divinæ, supplantatione hostium, aquilam Imperii exaltabit, mundum Christianam universum salvabit.

Contremiscite hostes Christiani nominis & Imperii! Pudeat te, Philistæ Turca, impudentiæ tuæ, fastus tui, perjurii ac pacifragii tui, scelerum tuorum! David tibi in Josepho nostro ab ipso Deo opponitur, qui te hastâ & galeâ exuat; Indignus enim es gloriâ, quod illâ dignum te autumas; Mererisque Ottomanæ, qui mancipium sis omnium, quod te Dominium mereri in omnes cogitas. Adesdum etiam Gallia! Quid gloriaris obsecro in aliorum miseriâ? Nunquid tu Babylone antiquior? Heliâ pulchrior? Carthagine ditior? Trojâ fortior? Thebis populosior? Tyro amœnior? Numantiâ felicior? Aut navibus Corintho cincta magis? Quæ perierunt omnes, quanquam virtutibus tam raris, & viris tam robustis ornatissimæ; Tune ergò te æternam existimas, quæ tot scates vitiis & abundas malis? Id credito certissimè, gloriam, quam hac horâ apud te esse gloriaris, quondam in eis quoque fuisse, & ignominiam, quæ modò in iis est, aliquando tibi obventuram esse. Pœniteat itaque te Galle, diræ regnandi libidinis tuæ, cujus gratiâ nihil non audendum, nullum jus divinum humanumve non violandum putas; Doceat te Macedonum Rex quondam Demetrius Poliorcetes, qui Rhodum obsidens, murumque eo in loco, ubi tabula Protogenis magnâ arte picta erat, quas-

saturus,

*L. Boscus
lib. 3. de an-
tiquitatib.
Græcor.*

*Laurent. Cu-
per. Theatr.
mundi mi-
nor. lib. 2. p.
m. 88. La
Monarchie
Universale
de Re Luigi
XIV. lib. 2.
circa fin.*

faturus, cum rogaretur, ut monumento illi Protoge-
 nis parceret, revocavit milites, inquit, se non gerere
 bellum cum artibus; Tam gloriosum sibi hic reputa-
 vit mutam servasse tabulam. Ex hoc commissa te in-
 evertendis templis, ipsius Dei habitaculis, facinoris
 immanitatem agnosce & judica. (1.) Exemplo Imperato-
 ris Valentis edoctus desine contra Deum bellum gere-
 re, redde gregibus bonos suos pastores, restitue tem-
 pla, ne rerum eventu experiaris, quam durum sit tibi
 contra stimulos calcitrare. (2.) Pigeat te ambitionis tuæ,
 quæ insolenter raptus plus quam barbaricâ truculentia
 totum orbem Christianum Dominatui tuo subjugare
 hactenus intendisti: (3.) Nihil esse cogita, quo magis pe-
 ricliteris de gloria, quam immodicè illam expetendo &
 affectando; Homines enim ambiciosi non possunt non
 esse flagitiosi, si que voto non potiuntur, ignominiam
 reportant; Et ut maximè voti reddantur compotes,
 nihilo sunt honoratiores, gloriam enim non habet,
 qui infamiae viâ ad eam grassatur: Quinimò gloriae per
 violentiam partæ finis tandem est infamia. (4.) Indeco-
 rum profectò est Christianis tantâ cum acerbitate inter
 se armis certare, cum rationes sint conveniendi ad pa-
 cem, & communes vires in impios vertendi. Quare,
 si tamen aliquâ humanitate tangeris, abstine, abstine,
 & deprecare furores tuos! Rex Josephus adest, quem
 undecim stellæ, (5.) majores nempe ex familiâ Archidu-
 cali Austriacâ gloriosissimi Imperatores, Albertus I. & II.
 Fridericus III. Maximilianus I. Carolus V. Ferdinandus
 I. Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias, Ferdinan-
 dus II. & III., quem imò ipse Sol, Sacratissimus LEOPOL-
 DUS Pater, lumen mundi, & Luna, pientissima Augusta,
 ELEONORA mater, splendor Imperii, honorant.

Es

Notum

(1) *Vid. etiam*
Casaris Leo-
poldi pia &
cordata lite-
ra responsor.
ad Regem
quondam M.
Britann. Ja-
cobum II. d.
9. April.
1689. ibi. Il-
lud sanè Ei-
dem. & c. &
per tot.

2) *Conf. Grot.*
de J. B. & P.
lib. 2. cap. 22.
in notis ad
§. 3.

(3) *L. Boscius*
d. lib. 3.

(4) *Gregoras*
libro 10. de
Alexandro
Bulgaro.

(5) *Genes. c.*
37. v. 9.

Notum est, quod, Regem Gallia non mori, ambi-
tioso Gallorum jactari soleat proverbio. Sed habeant
sibi Galli fastum suum, retineant cum pluribus malis
deliria sua; Viderint modò serviles adultores & manci-
pia Gallica, ne Princeps tyrannus, qui vivens multis la-
crymarum causam præbet, risûs materiam toti orbi
Christiano moriens suppeditet! Nihil enim illo infe-
licius, cujus ob vitam omnes plorant, & cujus in morte
plurimi rident. Nos verè cum jubilo & gaudio jam di-
cimus; Vivit Imperator noster LEOPOLDUS Magnus,
& vivet, non morietur, sed in Rege Josepho immortalis
factus nunquam vivere desinet. Similiter JOSEPHUS
Rex & futurus Imperator Romanus nunquã, quod Deus
faxit, morietur, sed vivet uterque in perpetuum, feli-
citer, in salutem perpetuam, Germaniã non modò, nec
Imperii saltem, sed totius orbis Christiani!

De Justiniano Magno Imperatore traditur, quod
equestrem suam in columnã posuerit statuam, quæ læ-
vã globum tenuerit, cruce in eo defixã, quæ significa-
ret, eum ob fidem in Christum crucifixum terræ
Dominum factum; Dextram porrexerit versus Orien-
tem, seditionem Persarum significans, & extensione ac
repulsione manûs clamitaverit, ne Romanas Provinci-
as ingrederentur; State, inquiens, ne progredimini, neq;
enim id vobis expediet! O sacratissime Impera-
tor LEOPOLDE, ò Rex optime JOSEPHE, qui uterque
sacratum Imperii globum, cruce in eo defixã, lævã tuã
justè tenes, In hoc signo vinces! Extende modò, exten-
de uterque dextram tuam versus Orientem & Occiden-
tem, repelle armis tuis justissimis hostes tuos ac nostros
injustissimos pariter atque sævissimos, personet exerci-
tûs tui vigor ipso facto & effectû hæc quasi verba; Sta-
te Turcæ, State Galli, State perfidi hostes Christiani no-
minis

minis & Imperii, ne progredimini, neque enim id vobis expediet! Si enim hostes sine ratione & cum ambitione occupatum eunt nostra, æquissimum est nos ratione justitiæque duce propria tueri: Et æquè Republicam, qui sua non defendit, quàm hostis, qui aliena rapit, conscientiam, lædit.

Sed quò animi prorumpit impetus? Siccine licet aut integrum est Imperatorem sapientissimum adhortari? Nonne hoc etiam est Regem Romanorum potentissimum oratione ad officia sua impellere? Ignosce Imperator gloriosissime, ignosce Rex clementissime, devoto affectui, ignoscite pio in gloriam Majestatis Vestræ ardori! Non Vos hortari, non impellere Vos ad officiam animus est; Sed hac oratione & optima Vobis precari pietas jubet, & felicissima quæque augurari amor erga Patriam injungit. Quare, sis LEOPOLDE Pater optime nobis, ut hæctenus fuisti, Valentinianus, de quo in laudem eximie ejus pietatis, integritatis & innocentie Ambrosius cantavit, Valentinianus meus candidus & rubicundus! Sis, Josephe fili æquè optime, sapientiæ & virtute, immutabili tamen, Gratianus! Nos tibi, LEOPOLDE Magne, Cæsar Augustissime, pro felici omine & in hostium terrorem mnemonicam erigemus statuam, quæ manu dextrâ Crucis Christi signum teneat, ejusque salutarem virtutem omnibus ostendet atque promulget, additâ insuper hac inscriptione; Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio, Imperium Romano-Germanicum totumque orbem Christianum à jugo servitutis liberavi, & Senatum Populumque Romano-Germanum in libertatē vindicavi, ac pristinae dignitati splendorique restitui LEOPOLDUS Imperator. Tibi verò, JOSEPHE Rex potentissime, arcum eodem omine dedicabimus

*Oration. de
Valentiniano
no I.*

habimus cum hoc elogio; Regi Romanorum JOSEPHO
Augusto Senatus Populusque Romano-Germannus, quod
instinctu divinitatis, mentis magnitudine, virtute sua,
exercitu suo, tam de duplici tyranno, quam de omni
utriusque factione, uno tempore, (quod Deus faxit!)
justis Rempublicam ultus est armis, hunc arcum trium-
phis insignem dicavit liberatori Patriæ, fundatori qui-
etis & tranquillitatis publicæ.

Uterque verò non contra tuos saltem hostes dextram
tuam extende, nec illis solùm quietem redde, qui ex re-
ligionis majori convenientiâ majorem Tui partem sibi
deberi autumant; Sed nobis etiam tranquillitatem
omnimodam restitue & serva, qui ex Dei præscripto
Evangelicam sectamur doctrinam & veritatem, Tibi-
que non minùs, quàm illi, sumus fideles, nec minori ju-
re æqualem Tui partem cum illis nobis vindicamus.
Si pro justitiâ hujus nostri petiti, de Christiano illo atq;
Teutonico Hercule, ut ab ipsis Gallis vocatur, Carolo
V. nimirum Imperatore jamtum suprâ laudato, ex Hi-
storicorum comprobatione huc adderetur, quod, cum
finitis Comitibus Augustanis Archiepiscopus Moguntinus
Albertus & Palatinus Ludovicus (quos pro pietate sua

Chytra. in Protestantium periculum tum temporis ferè solos affe-
Oration. de cit) Moguntia cum Carolo de Germaniæ pace collo-
Carolo V. querentur, & Heldus Vice Cancellarius Cæsaris adstan-
Imperat. tis nomine duriùs respondisset, Cæsarem, qui alia etiam
Regna haberet, decretum contra Ecclesias Protestanti-
um in Comitibus factum, etiamsi vastanda esset Germa-
nia, exequi decrevisse; Cæsar hunc interpellans dix-
rit; Hæc non jussi te dicere; Nolo enim vastari Ger-
maniam, quia & Patria est, & summum ab eâ Imperii
decus accepi, & Imperator saluti Orbis terrarum, quan-
tum

tum potest, Deo juvante, consulere debet: Si hæc, in-
quam, pro obtentu adducerentur, actum ageretur, cum,
quantæ invictissimi LEOPOLDI pro salute Orbis Chri-
stiani sit pietas & cura, nec non erga omnes & singulos
Imperii cives ac subditos, sine religionis intuitu, æqua-
lis gratia atque sinceritas, quantaque de suavissimo Rege
JOSEPHO sit felicitatis totius Orbis Christiani spes &
expectatio, in omnium jamtum sit notitiâ, ore & gau-
dio. Euge igitur, LEOPOLDE Magne Imperator! Eu-
ge Rex JOSEPHE Optime! uterque nos etiam ut tuos
piè fove, clementissimè defende, fortissimè protege!
Nos tibi non manûs saltem nostras devotè porrigimus,
sed bona nostra, corda nostra, sanguinem nostrum, imò
vitam nostram pro Tuâ ac Reipublicæ Orbisque Chri-
stiani salute sanctè offerimus, quin Deum ipsum Tibi
retribuimus, preces pro perpetuâ Tuâ incolumitate
fundentes haud absimiles illis, quibus milites & subditi
Constantini M. ex Ipsius præscripto uti solebant; Has
videlicet:

Omnipotens, æterne Deus, grates agimus Tibi
immortales, quod nobis non saltem LEOPOL-
DUM Pium Imperatorem dedisti, & à multis hæcenus
malis hostiumque insidiis & machinationibus clemen-
ter conservasti, sed nunc etiam JOSEPHUM suavissi-
mum Regem Romanorum nobis in spem Patriæ & fe-
licitatem totius Orbis Christiani benignissimè conces-
sisti. O Deus clementissime, nos te solum nostrum a-
gnosimus Dominum; Te solum colimus, tanquam
Protectorem nostrum; A te solo petimus & expectamus
victoriam; Per te solum hostes nostros vincimus; A te
solo habemus omne bonum, quodcunque habemus; A
te solo expectamus omnia, quibus indigemus; Te

F

adoramus

*Vid. liter.
Cæsaris re-
sponsor. ad
Princip. A-
ransion. nunc
anglie Regem
Vilhelmum
d. 19. Jun.
1689. in ver-
bis: ad tran-
quillitatem
per orbem
Christianum
asserendam
stabilien-
damq; bene-
vertat.*

adoramus & invocamus, ut Dominos nostros LEOPOLDUM Imperatorem, & JOSEPHUM Regem, salvos & superstites conserves, illos adversus omnia mala protegas, iisque in Consiliis sapientiam, in negociis prudentiam, in actionibus felicitatem, & contra tuos, eorumque & nostros hostes victoriam clementer largiaris, propter Jesum Christum filium tuum unigenitum, Amen!

Claudo rivos, Auditores, repetito voto humillimo;
 Vivat Imperator LEOPOLDUS Magnus Gloria Imperii! Vivat Rex Romanorum JOSEPHUS, spes Patriæ, delictum Orbis Christiani! Vivant Illi cum Suis pacificè, victoriosè, felicissimè semper, ut nos sub & cum Ipsiè piè, honestè, tranquillè & feliciter vivere valeamus! His, Auditores, addetis suspiria, Deus pondus!

- - - - - Sat prata biberunt.

* *

Servestæ Anhaltinorum é Museo anno 1690.

D. $\frac{19}{29}$ { Martii, qui erat } dies Josephi; } Ex potentissimi
 } dies Eustachii; }

Regis Romanorum JOSEPHI nominibus

ds E W



Nimm/ Großer Leopold/ was hier ich kniend bringe/
 Nimm/ Großer Joseph auch dis/ ob gleich sehr geringe/
 In höchsten Gnaden an. Die Red' ist zwar gemein/
 Doch ganz das Herz dabey ohn allen Heuchel-Schein.
 Der Höchste wolle nur die Krafft von Oben geben/
 Das Kaiser Leopold / und König Joseph leben
 In voller Ehr und Glück! Daß auch der Kaiser Thron
 So lange steht die Welt/ verbleib ihr TugendLohn!
 Die Teutsche Leonild ist nun/ Gott Lob! entzogen
 Dem Buhler Marcomir, den selb-List hat betrogen:
 Drum rufft ganz Teuschland Glück / die Kaiserliche Trohn
 Bekröhne Oesterreich zu aller Feinde Hohn!



AK Th. 1008

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



7107

nc



CÆSARE
SACRI
Eminentissimo
ELECTO

AM
RO
M
MANARUM
MANICI
simorum &c. &c.
COMITUM,

